

Dissertatio inauguralis medica evolvens quaestionem num venaesectio in calidis, an frigidis regionibus frequentius sit administranda ... / [Daniel Abraham Hancke].

Contributors

Hancke, Daniel Abraham.
Juncker, Johann, 1679-1759.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Johannis Christiani Hilligeri, [1730]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/dxfpdz6s>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

8
DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
EVOLVENS QVÆSTIONEM

VM VENÆSECTIO IN CALI-
S, AN FRIGIDIS REGIONIBVS
FREQVENTIVS SIT ADMINI-
STRANDA

QVAM

ANNVENTE NVMINE DIVINO

ATQVE AVCTORITATE GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

DN. D. JOANNE JVNCKERO

PROFESSOR. MED. PVBL. ORDINAR.

DOMINO PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SVQ
OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

PRO GRADV DOCTORIS

SYMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

HORIS LOCOQVE CONSVRTIS

ANNO MDCCXXX. D. APRIL.


PVBLICÆ DISQVIGATIONI

SVBMITTET

AVCTOR RESPONDENS

DANIEL ABRAHAM HANCKE

CONECO-BORVSS.



HALÆ MAGDEBVRGICÆ

TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, ACAD. TYPOGR.

DISSERTATIO IN ANATOMIA MEDICA
EVOLVENS QUESTIONEM

VM VENAE SECTIO IN CALLI
S. AN FRIGIDIS REGIONIBVS
FREQUENTIVS ET ADMINI-
STRANDA

ANALYTICAE MINE DIVINO
ATQUE ANATOMIAE CATHOLICAE ACADEMIAE MEDICAE
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

IN. D. JOHANNES IVNGKERO
PROFESSOR MED. PUBL. ORDINAR.
DOMINO PATRONE, RECTORI AC PROMOTORE VNO
Omnium Honoris Causa PROLOCUTORIS
PRO GRADU DOCTORIS

SYMMPOSIO IN ACADEMIA HONORIS ET LITTERARUM
DOCTORIBVS ET LITTERARIS HONORARIIS
HONORIS Causa CONSTITUTIS

ANNO DOMINI MDCCLXXV
LITTERARUM DOCTORUM
FRIDERICIANA

AVCTORE RECTORIBVS
DANIEL ABRAHAM HANCKE

Consilio Honoris Causa
HONORARIIS ET LITTERARIS HONORARIIS
HONORIS Causa CONSTITUTIS
TYPIS IOHANNIS CHRISTIANI HILBERII, ACAD. TYPOG.

V I R O

EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO,
EXPERIENTISSIMO DOMINO

DN. IOANNI ANDREÆ
SALO MON

MEDICINAE DOCTORI DIGNISSIMO
CIVITATIS GEDANI PRACTICO CELEBERRIMO
MEMBRO SOCIETATIS REGIÆ SCIENTIA-
RVM BEROLINENSIS MERITISSIMO

MOECENATI, PATRONO ATQVE AGNATO SVO
PARENTIS LOCO DEVENERANDO

DISSERTATIONEM HANC INAUGVRALEM
GRATÆ MENTIS TESSERAM

Cum voto omnigenæ prosperitatis
Submisſe offerre

PARTIVM SVARVM DVXIT
AVCTOR.

V I R O

EXCELLENTISSIMO, DOCTISSIMO,
EXPERIENTISSIMO DOMINO

JOHANNI ANDREA
SALO MON

MEDICINAE DOCTORI DIGNISSIMO
CIVITATIS CEDANU PRAGAE CELEBRISSIMO
MEMBRO SOCIETATIS REGIAE SCIENTIAE
RAVI BEROLINENSIS MERITISSIMO

DECENATATATANO AGNATO SVO
PARENTIS LOCO DEVENIENDO

DISSERTATIONEM HANC INVENIENS

GRATIS MIHI TRAXIT

Quae vero omnia per hoc scriptum

scribitur debet

PATRIUM INVENIENDO

ACTOR



PROOEMIUM.



VEnæsectionis commenda-
tio quemadmodum jam ab incu-
nabilis artis medicæ initium sum-
sit : ita progrediente tempore
plurimos Medicorum accepit
Patronos; qui illius usum in sa-
nandis morbis longius fere,
quam par est, extenderunt. Pauciores autem illi,
qui e schola præcipue *Helmontiana* egressi sanguinem
hac ratione effundere, atque ita vitæ, ut putant,
thesaurum, perdere eximia quasi religione detine-
bantur, & etiamnum detinentur, diu jam & satis
refutati sunt a viris eruditis; qui vacillantes hujus
opinionis rationes pervidendo experientiam cum
rationibus solidioribus conjunxerunt. Quamquam
autem multum & multis modis de præstantia Venæ
sectionis & peramplo illius usu practico scripserint
auctores: nemo tamen, nisi minimæ librorum sit
lectionis, facile iudicabit, thema nostrum, quod in

differtatione hac inaugurali evolvendum suscepimus, laborem esse superfluum, & tanquam crambem, ut aiunt, sæpius coctam in nauseam eruditis apponi. Vti enim historiæ medicæ satis confirmant, quod contrarium potius in dies observetur, & magis consuetudinis sit, in frigidis regionibus parcius venam secare quam in calidis: ita nullum, quantum quidem resciscere potuimus, auctorem invenire licuit, qui hujus materiæ vel mentionem tantum fecisset. Ex contraria autem parte omnes, qui de Venæsectionis limitibus scripserunt, hos calidioribus quidem regionibus ampliores, frigidis autem multo angustiores posuerunt. Et licet rationes illorum sint levissimæ, usu tamen & consuetudine ita sunt confirmatæ, ut facile prævidere possimus, thema nostrum prima facie paradoxon multis esse appariturum. Confidimus autem bonæ causæ, & quemadmodum rationes, quibus probanda hæc sententia innititur, ita planæ sunt, ut a quovis dextre iudicante facillime perspicui potuerint: ita eximium frequentis Venæsectionis usum non tantum illis in annis, quibus *Dn. Præstidis* praxin clinicam observare licuit, multis exemplis confirmatum habemus, verum etiam posthæc, cum in proprio medicationis exercitio aliquamdiu versaremur, eandem ex perti sumus utilitatem. Quare hanc materiam pro differtationis inauguralis themate eligere illiusque egregium usum, quem medentibus adfert, cum schola medica communicare decrevimus. Nullus enim dubitamus, quin
hic

hic labor noster, si non omnibus, tamen nonnullis fuerit acceptus. Ante autem, quam ad thematis explicationem accedamus, præmonere necessarium arbitramur, quod eo non abeat animus noster, ac si frequentes illas & quasi tumultuosas venæsectiones, quas in calidis præcipue regionibus promiscue fere instituunt, comprobemus: in his enim, si nullos morbos excipiamus, majorem potius abusum, quam verum usum, accusandum iudicamus. Cæterum non miraberis, benevole Lector, nos dissertationem hanc variorum auctorum allegatione haud adornasse; quum nullibi, uti iam dictum est, hac de re quidquam offendere potuerimus. Conatus autem nostros gratia secundet divina, ut finem illum salutarem & optatum, ad quem hoc labore suscepto tendimus, plenissime consequamur.

§. I.

DE *frequentia* venæsectionis & illius usu pratico *generatim* hoc loco exponere, superfluum iudicamus: plures enim alii hac de re abundanter iam scripserunt. Unde sine ambagibus ad thesin nostram & specialem illam questionem nos convertimus: videlicet num rationis sit, venam frequentius in calidis, an vero in frigidis regionibus secare? Quumque calida climata per longiorem usum ac consuetudinem principatum hac in re iam obtinuerint, iurene an iniuria hoc factum sit,

fit, inquiremus, & posterius demonstrando illa de possessione quasi sua dejiciemus. Ut vero ab omni circa terminos ambiguitate liberemur, significamus, nos *climata* sensu illo generali, quo vulgo assumuntur, hic accipere, neque per frigidas regiones illas tantum, quæ polaribus circulis includuntur, intelligere; quid enim cum *Lappis* & *Samojedis* nobis est commercii? sed potissimum *Zonæ temperatæ* dimidium circiter tractum huc referre. Eadem ratione *calida climata* non solum illa nobis audiunt, quæ *tropicis circulis* sunt inclusa, verum etiam altera illa pars *plagæ temperatæ*. Et licet sufficere hic posse videatur, si generatim dixerimus, incolas *Zonæ temperatæ*, respicientis *polos*, ad frigida, *æquatorem* autem ad calida esse referendos: minime tamen dubitamus, pro accuratissima interfectione & frigidorum a calidis disiunctione, punctum quinquagesimi circiter gradus collocare, ubique autem individuales vitæ generis rationes pro legitima exceptione reservare.

§. II.

His præmissis ad rem ipsam nos convertimus, & quemadmodum thema nostrum sponte quasi sua in duas abit partes: ita prima quidem generatim perlustrabimus *causas*, venæsectionem exposcentes; altera autem parte probabimus, hæc causas in *frigidis* magis quam calidis regionibus esse *frequentes*.

§. III.

Quod ad *primum* membrum, videlicet ad *causas*, venæsectionem *indicantes*, attinet, omnes facile Medi-

Medicos, qui hoc medicationis genus non prorsus respuunt, habebimus consentientes. Vnanimi enim fere consensu testantur, *plethoram* & molesta illius *confectaria* hoc remedii genus potissimum efflagitare. Triplici autem facie abundantia humorum sese manifestat: nam in aliis copia sanguinis carnosissimo-musculosas præcipue partes occupat, & floridus corporis habitus, qui non raro ad molestant usque corpulentiam sese extendit, manifesto conspiciendus præbetur; atque hunc statum *plethoram ad habitum* nuncupare solemus: in aliis plenitudo sanguinis dignoscitur e vasis turgidis & inflatis; quæ *plethora ad vasa* dicitur, quæque pulsu magno ac pleno manum ferit tangentis: denique in aliis *plethora ad vires* offenditur, & in his fibræ per commotionem humorum orgasticam ita distenduntur, ut sensum illum delassantem, ac si omnia membra contusa essent, producant. Quocunque autem modo *plethora* se manifestet, exposcit ubique sanguinis imminutionem.

§. IV.

Quæ vero de *plethora*, tanquam *matre*, diximus, illa ad *partus* illius singulos, id est, ad molesta *confectaria* possunt applicari. Quemadmodum enim nimia sanguinis quantitas circuitum humorum manifesto refrenat: ita multarum afflictionum campus ex hac motus segnitie aperitur; cum primis suspecta sanguinis *spissitudo*, quæ stagnationes & stases minantur, inde emergit. Atque hæc humorum constitutio

tutio ansam præbet sufficientem, ut innumeræ congestiones hæmorrhagicæ, modo completæ, modo incompletæ in corpore nostro excitentur. In quibus quidem omnibus quis non videt sanguinis imminuendi necessitatem? Vnde minime hic respondimus paucioribus illis, qui plethoram ob quascunque causas prorsus negando pathemata, modo dicta, e longe alio fonte derivant. Satis enim hi ab aliis iam acceperunt responsionis.

§. V.

Monstratis generalioribus causis, quæ venæ sectionem requirunt, ordine nunc ducimur ad *alteram*, eamque primariam, thematis partem; in qua demonstrandum erit: quod hæ causæ frequentius in *frigidis* quam calidis regionibus occurrant. Petenda autem hic erunt argumenta e duobus locis, videlicet *tabulis maioris accepti & minoris expensi*, aus *der grösseren Einnahme und kleineren Ausgabe*. Hoc enim si evicerimus omnes facile concessuros esse speramus, frigidi climatis incolas plus rationis habere, ut sanguinem sæpius emittant, quam quidem calidioris.

§. VI.

Primum, nempe *maiores humorum acceptiones & reditus* in frigidis quam calidis climatibus, ut probemus, e fonte *dietetico*, strictiore sensu sumto, rationes nostras hauriemus. Quemadmodum enim sanguis accessiones suas nulla alia via, quam alimentorum ingestione, digestionem & ulteriore perfectione

ne accipere potest: ita etiam probatio, quod frigidiclimatis incolæ magis plethorici sint, quam calidarum regionum, e sola *victus differente ratione* pendenda erit. Atque hoc intuitu generatim asserere licebit: frigidas regiones in alimentis sumendis calidas quam longissime superare. Cum enim cibi *quantitatem* consideramus, tum *tripulum* circiter pondus, quo satiatur Italus aut Gallus, a Germano vel cujuscunque frigidi climatis incola ad satietatem requiritur. Vnde querelæ passim audiuntur monachorum, qui peregrinationes, *Walsarten*, e Germania in Italiam instituunt, quod ordinatæ portiones, quæ in monasteriis porrigerentur, ad famem sui sedandam non sufficerent. Immo certiores facti sumus, ad statutum quorundam Italiæ monasteriorum, Polonis & Germanis duplam cibi portionem ibi apponi. Sic etiam milites Germanorum, quos superiore bello in Italiam miserunt, *Cornari Venetiensis consilia de vita sobria* minime probarunt, & ventriculi eorum cum incolarum stomachis in stateram *Santorii Paduani* collocati, æquilibrium graviore suo pondere multum superarunt. Quod si vero quis putet, *qualitate magis nutriente* defectum quantitatis in calidis regionibus compensari, has quidem a luxu epularum & abusu ciborum nutrientium eximere non audemus; cui enim Gallorum iuscula saturata, *die Krafft bouillons*, & varia artificia ad sapidos cibos, *haut goût*, parandos, sunt ignota? asseverare tamen nullus dubitamus, delicatas frigidi

climatis dapes & delicias, quas in cibis ad gustum præparandis quærunt, de prærogativa cum illis certare & intuitu melioris nutriendi qualitatæ palmam iis dubiam reddere posse. Hæc maior frigidorum incolarum voracitas non minus confirmatur per *frequentes edendi repetitiones*. Cum enim calidæ nationes semel tantum per diem vel bis comedere soleant, frigidæ ter vel quater pransitare plerumque concupiscunt.

§. VII.

Quemadmodum autem nemo facile huic adserto contradicet: ita haud minimam huius rei confirmationem adfert phænomenon illud, quod etiam *frigidi climatis populi æstivo* tempore minus cibi capere soleant, quam frigidior, & apud *calidas nationes hieme* maior edacitas observetur; argumento satis manifesto, frigus augere appetitum, calorem autem eundem refrenare.

§. VIII.

Quæ cum extra omnem dubitationis aleam posita sint, & experientia quam abundantissime confirmantur: in causas horum effectuum physicas inquirere nunc progredimur, & de his conceptum sequentem nobis formamus. Videlicet aëris constitutio frigida fibras motrices reddit rigidiores, strictas, firmiores & poros condensando facit augustiores. Vnde sanguis ad viscera, digestionem destinatus, repellitur; quæ hac ratione non solum uberiores solventium humorum adfluxum & maiorem calorem

nanciscuntur, sed etiam tonici roboris incrementum acquirunt; quo fit, ut cibi promptius & digerantur & in sanguinem convertantur. Quando autem calor externus motus tonici relaxationem efficit: tum appetitus languet, & digestio tardius procedit.

§. IX.

A cibis nos convertimus ad *potulenta*, quæ in frigidis regionibus ita sunt comparata, ut multum nutrimenti contineant, eoque ipso humoribus maius augmentum concilient. Quo propius enim ad septentrionem plaga accedit, eo saturatio cerevisia plerumque observatur; quæ, dum potando strenui, immo heroës, sint incolæ, per partes suas pingues & mucilaginosas valde nutriendo sanguinem reddit abundantiorum. Contrario autem modo res se habet in regionibus calidis; ubi parcior vini potus, resolvendi facultate præditus, copiosiore aqua miscetur. Vnde chylus emergit dilutus & sanguis tam laxæ cohæſionis observatur, ut eo facilius dimoveri, in serum resolvi & copiosius consumi possit; de qua re mox plura dicemus.

§. X.

Ex his satis apparet, frigidarum regionum populos plus edendo & largius nutrientem potum bibendo, maiorem sanguinis abundantiam cumulare. Id quod adeo verum est, ut externus quoque aspectus de *habitu* corporis *athletico* frequentius testetur. Vti enim in calidis regionibus homines plerumque

sunt graciliores : ita in frigidis passim satis obesi & pingues observantur.

§. XI.

Ad alterum thesicos probandæ argumentum, nempe ad *minoris expensæ* rationem nunc properamus, & planioris conceptus causâ præmittimus, quod sanguinis consumptio triplici ordinarie modo contingat: primum per *nutritionem* corporis, quo etiam fœtus in utero materno nutriendus referri debet; deinde per *hæmorrhagias naturales*, & denique per *resolutionem* in serum & hujus e corpore proscriptionem. Priore respectu incolis quidem calidi climatis nullam concedere licet prærogativam: in corpore enim nutriendo frigidi climatis populi calidarum regionum incolas longe antecedunt, neque fœcunditate iisdem posteriores reperiuntur. Quod autem ad hæmorrhagias naturales attinet, hæ ob spissam præcipue humorum crasin multo rariores & impeditiores sunt in frigidis regionibus quam in calidis. Tertius denique consumptionis modus, qui fit per resolutionem, maximum in frigidis climatibus patitur decrementum. Quo autem hic clarioris lucis fiat, e principiis physiologicis allegamus, quod sanguis, dum motu progressivo per angustos canales propellitur, horum lateribus fortius affricetur, & conquassando ita conteratur, ut nexus molecularum sensim dissolvatur, & liquor hic laudabilis transeat in serum, per congruentia loca demum excernendum. Ex his facile est concludere, frigidi climatis

tis incolas longe minus humorum consumere, quam calidioris. Quo tardior enim & segnior est motus progressivus, eo minor portio sanguinis resolvendo consumitur. Quis vero in climatibus frigidis non observat, pulsum calidis multo tardiolem? Ad hæc præcipuus ille defectus accedit, quod *transpiratio* naturalis, qua ingens quotidie quantitas humorum exhalare solet, per auram frigidam quam maxime impediatur. Ex contraria autem parte in calidi climatis nationibus, de vegetiore pulsu gaudentibus, minor sanguinis quantitas quotidie in serum fatiscit, & beneficio caloris externi, qui fibras relaxat & poros aperit, per diapnoën continuam eliminatur. Hoc unicum, qui dextre diiudicare valet subsidium, haud ægre nobis assentietur, quod in *calidis* regionibus humorum consumptio multo *largius* contingat, quam in frigidis, facileque perspiciet rationem, cur eiusmodi nationes a turbis illis motuum congestoriis & pathematibus spastico-hæmorrhagicis incompletis liberiores reperiantur, quam quidem nostrates.

§. XII.

Hæc sunt argumenta *maioris accepti & minoris expensi sanguinis*, quibus maiorem plethoram frigidarum nationum & frequentioris venæsectionis apud illas rationem probare suscepimus. Quæ uti satis evidentiâ, plana & perspectu facillima existunt: ita *due obiectiones*, quæ in contrariam sententiam adferri possent, erunt proponendæ & solvendæ. *Primum*
du-

dubium, quod moveri posset, a *labore fortiore*, quem in frigidis regionibus præ aliis suscipere solent, petere licebit; secundum tritum illud: *Germani possunt quosvis perferre labores*. Ex his enim concludi posse videtur, frigidorum climatum incolas abundantem sanguinem hoc corporis maiore exercitio satis consumere & propterea frequente venæsectione non indigere. Sed respondemus, tantum abesse a nobis, ut laboriosis, in quibuscunque climatibus vixerint, frequentem sanguinis evacuationem commendemus, ut potius ab hoc remedii genere, plurimos penitus eximamus. Qui enim perfectius sanitatis conservandæ subsidio fruuntur, cur illos longe imperfectiore hoc medio onerare vellemus? Quum vero res nobis hic sit cum otiosis & præcipue laute viventibus, qui nimium sanguinem, quem cumulant, per laborem consumere respiciunt: tum de his asseveramus, quod dextra venæsectionis repetitio in calidis quidem regionibus magni, maioris autem in frigidis climatibus usus esse possit.

§. XIII.

Alterum dubium, quo assertum nostrum infringi posse videtur, *orgasticam humorum* involvit *commotionem*, qua calidarum regionum populi præ frigidis exagitari videntur. Putant enim sanguinem ita commotum sæpius esse ventilandum, *man muß se dem hitzigen wallenden und flüchtigen Blut luft machen*. Præter ea monent, in vena secanda non tantum *quantitatis*, sed etiam *motus* humorum rationem

nem esse habendam. Verum enim vero licet minime negemus, testante paragrapho priore, venæsectionem, rite institutam, in climatibus calidis esse salutarem, & lubenter fateamur, hoc genus evacuationis non tantum ab *abundantia*, sed etiam a *commotione* humorum indicari: subscribere tamen non audeamus illi præiudicatæ opinioni, quod maior humorum orgasmus, qui in calidis regionibus observatur, tantæ sit considerationis & tam noxiæ efficacæ, ut principatum hac in re obtinere debeat. Quo maior enim in calidis regionibus est humorum resolutio, eo magis etiam orgasmicæ, subtiles, noxiæ particulæ per transpirationem e corpore proscribuntur. Cuius rei instantiam dabimus per laboriosos, in quorum sanguine longe maiores fiunt resolutiones & plures generantur impuritates, quam in otiosis. Quoniam autem noxii illi partus abundanter sub labore excernuntur, vasa quidem eorum turgida fortiores sanguinis commotionem & orgasmicam constitutionem designant, nihilo tamen minus de optima illi gaudent sanitate. Contrario autem modo res se habet in otiosis, qui in frigidis regionibus degunt. In his enim plethora generat spissitudinem & particulæ sulphureo-salinæ, volatiles, summe noxiæ, suppressa transpiratione, in corpore retinentur, & hæ sunt, quæ motum intestinum orgasmicum multo reddunt periculosiorem.

§. XIV.

Probata hac ratione thesi nostra & solutis, quæ-

C

move-

moveri possent, dubiis, ad practicam applicationem progrediemur, & ad *tria* potissimum *capita* animum nostrum dirigemus. Primo enim demonstrabimus, frequentem venæsectionem, excepto corporis labore, non habere sibi par remedium, quo plethora felicius imminui, & noxia illius consuetaria efficacius tolli possint; deinde usum venæsectionis promiscuum reiiciemus, & iustis sui limitibus circumscribemus; denique ea, quæ dissertatione hac dicta sunt, exemplis quibusdam illustrabimus.

§. XV.

Post corporis motum aliud non dari remedium, quo plethora magis imminui & molesta illius consuetaria efficacius occupari possint, quam *frequente venæsectionis repetitione*, primum est, quod in practica applicatione iam occurrit, quodque sine difficultate defendi posse arbitramur. Non indigna sane res est, cui paullisper immoremur, & ubi haud immerito aliquis quærat: cur divitum plerique, qui plethoram præcipue fovant, a corporis afflictionibus ultra modum fere vexentur; cum tamen pro facultatibus suis optima quæque medicamenta adhibere & possint & soleant? Diætæ vitia si quis hic accusare vellet, quot contradictiones haberet expectandas! Dantur enim non pauci eorum, quorum regimen in cibo, potu, animi pathematibus & reliquis, minime est reprehendendum; nihilo tamen minus valetudinarii perpetui reperiuntur. Immo dantur nonnulli, qui quotidie, quod
edunt

edunt ac bibant, in trutina quasi suspendunt; sed quo scrupulosiore diæta utuntur, eo miserior est valetudinis eorum conditio. Cuius calamitatis si justiores causas pervidere liceret, sane loco systematis nervosarum partium debilitati, quod vulgo hic accusatur, *plethoram*, quam vocamus *gravativam*, die abinattende *Bollblütigkeit*, & universam turbam motuum excretionem sanguinis respicientium, plerumque offenderemus. Ad hanc autem debite imminuendam & confectaria illius molesta funditus occupanda, in tota penu pharmaceutica non datur salus. Quod si enim quis opponeret, *hæmorrhagias naturales*, quæ boni moris sunt, plethoræ imminuendæ sufficere, & medicamenta dari, quibus illarum suppressio possit revocari, huic, si sexus sequioris singulare beneficium hæmorrhagicum exceperimus, considerandum commendamus, remedia ad hæmorrhagias promovendas non habere ius absolutum & directum, nec sanguinem ad certum & specialem locum dirigere posse, sed operationem suam *generatim* tantum præstare: dum vel humores particulis suis salino-sulphureis exagitant & mobiles reddunt, vel naturam ad excretionem alvi & urinæ stimulant. Cui vero in praxi exercitato Medico ignotum est, quam ægerrime tales hæmorrhagiæ medicamentis obtineantur, quamque inconstanter se gerant, & indidem plus molestiæ, quam utilitatis ab hisce incompletis moliminibus sit expectandum.

§. XVI.

Non minores autem difficultates in arte medendi

fese offerunt, quando sanguinem abundantem in *serum* *resolvere*, & hoc *per diaphoresin* e corpore proscribere medicamentis allaboramus. Maior enim illa humorum commotio, quam remedia acribus suis & calidis particulis resolvendo & expellendo efficiunt, tantæ non est innocentia, ut fidem ei habere possimus. Hic quippe actus diaphoreticus, quo sæpius repetitur, eo maioris virium prostrationis auctor existit; neque talis sudoris utilitas cum illo, qui per corporis motum excitatur, ullo modo potest comparari. Priore enim compages fibrosa noxie relaxatur; posteriore autem utiliter roboratur. Tacemus, quod nemo facile artificialem sudorem toties instituendum commendaverit, quoties naturalis patitur detrimentum. Cæterum hoc evacuationis genus in morbosis aliis afflictionibus usui suo amplissimo reservamus.

§. XVII.

Per *laxantium* frequentem usum abundantiam humorum evacuare velle, multo maioribus impeditis obnoxium est. Licet enim catharces leniores in therapia medica amplissimæ sint utilitatis: ad plethoram tamen imminuendam tantum abest ut conveniant, ut potius partes solidas, æque ac diaphoresis, lædere & virium non mediocrem jacturam adferre observentur.

§. XVIII.

Quid a *diureseos* pharmaceutica promotione, in finem plethoræ subtrahendæ sperare integrum sit: illi facile pervidebunt, qui dextre perpendere valent, quam

quam angustissimis terminis definita sit hæc excretio, si *positive & directe* per media stimulantia eandem promovere studeamus. Quando autem leniter instituitur, libenter quidem concedimus, quod ad principes & necessarias excretiones sit referenda; fontem autem plethoræ ne attingit quidem, tantum abest, ut eundem exhauriat. §. XIX.

De reliquis evacuationibus, quæ multo imperfectiores sunt, & non nisi particulariorem usum suppeditant, prolixius non dicemus. Quid enim v. g. ab *errhinorum & ptarmicorum* usu, & ab iis, quæ *per pectus* evacuant, in fontico hoc ac difficili negotio sperare licebit? Equibus omnibus abundanter elucescit, plethoram neque directe neque indirecte per remedia pharmaceutica satis & felici cum successu posse auferri. Minime omnium vero molestissimum onus *nimiae obesitatis* per medicamenta quæcunque removetur; licet innumeris fere tentaminibus id obtinere Practici contendant.

§. XX.

Itaque quum in tota pharmacia non detur salus plethoricorum, quumque remedia, quæ evacuationem præstant perpetuitate sua solidis tantum partibus noceant, quantum fluidis auxilium ferunt: tum omnino dispiciendum erit viris, in campo therapeutico sudantibus, an per præsidia chirurgica ad optatum finem pervenire concessum sit. Id quod affirmare eo minus dubitamus, quo manifestius est, sanguinis abundantiam per *venesectionem* immediate & directe exhauriri.

§. XXI.

Quamquam enim & hoc medicationis genus in plethora auferenda suas habeat imperfectiones; dum portio illa, quæ hoc modo effunditur, paucioribus diebus recuperatur: docet tamen experientia iudiciosa, quod *confectaria* plethoræ, nempe varii illi motus congestorii, rheumatici, spastici, hæmorrhagiam quamcunque respicientes, per aliquot sæpe menses occupentur si vel unicus phlebotomiæ actus debite institutus fuerit. Præterea venæsectio cum hic tenet primatum, ut partibus solidis, quas pharmaceutica evacuantia offendere diximus, quovis respectu parcat, & vires magis conservet. Hic autem non audiendi sunt illi, qui per phlebotomiam in lipothymias coniiciuntur, vel de viribus prostratis querelas movent. Magna enim intercedit differentia inter vires per teneritudinem individualement *omissas* & vere *amissas*; id quod adeo verum est, ut a plurimis adstantium lipothymicæ tales affectiones, quæ actum venæsectionis interdum excipiunt, & quæ sequuntur alia, quam minime æstimentur.

§. XXII.

Hiscæ denique beneficiis hoc quoque adnumerandum erit, quod imminuta quantitate & sedatis motibus anomalis fortior sanguinis motus, qui phlebotomiam sequi observatur, qualitatis spissæ resolutionem efficiat. Vnde sane hoc remedium tantæ hic est efficacix, ut tribus caussarum generibus, quæ morbos producere solent, occupandis plus inserviat, quam ullum pharmaceuticum medicamentum.

§. XXIII.

§. XXIII.

Eo ipso autem, dum venæsectionis usum laudibus illustramus, non obliviscimur eorum limitum, quibus illum circum scribendum *altero* practicæ applicationis *membro* supra promissimus. Quam longissime enim distat ab intentione nostra, ut phlebotomiam ceu uniuersale remedium commendare, & multos illos abusus, qui variis in morbis per illam committuntur, probare velimus. Nam uti venæsectio magis præservandi quam medendi scopo generatim utilis iudicatur: ita etiam crebrior illius repetitio, de qua hic loquimur, ab hoc fine minime deflectit.

§. XXIV.

Non fert autem instituti nostri ratio, omnes illos adfectus in quibus hæc sanguinis effusio usum suppeditare potest, figillatim recensere. Quemadmodum enim supra paragrapho tertio *indicantia generaliora* iam præmisimus specialiora autem etherapiæ generalis fontibus petenda commendamus: ita omne id, quod ab hac norma recedit, singularibus quibusdam circumstantiis exceptis, pro *contra indicibus* declaramus. Præcipue autem insignis illius abusus, qui in febribus curandis accusandus venit, mentionem facimus, & tumultuosa illa conamina, febris indoli contraria & summe noxia, repudiamus. Neque minus hoc medicationis genus reiiciendum monemus in motibus spasticis iam exacerbatis & in quam plurimis vitiosæ qualitatis pathematibus; quæ
licet

licet natales suos plethoræ manifeste sæpius debeant, rarissime tamen *curativam*, ut dicunt, venæsectionem exposcunt.

§. XXV.

Quo vero ad scopum nostrum propius accedamus, bona fiducia asserimus, quod sæpius casus, evacuationem sanguinis vere indicantes, occurrant, in quibus phlebotomia, *bis* tantum singulis annis instituta, operæ pretium minime faciat. Si enim experientiam, optimam rerum magistram, attente consulamus: non raro sane observare licebit, quod maiora incommoda simplicem illam venæsectionem excipiant, quodque illius demum repetitio optatam utilitatem commonstret. Testes huius asserti convocamus foecundas illas tres plethoræ filias, videlicet *congestionem simplices, rheumaticas, & affectus spastico-arthriticos*. In his enim superandis & funditus extirpandis quam parum possit una alterave venæsectio, cuivis attento practico experiendum commendamus. Longe autem alia rerum facies apparebit, si quater, sexies vel octies per annum illa administretur. Cum primis universus loquitur mundus, quod contumacissimi illi adfectus spastico-arthritici neque optimis medicamentis, neque *rariori* phlebotomiæ quidquam cedant. Quid vero menstrua circiter sanguinis evacuatio hic valeat, sæpius cum iucunditate animi observavimus. Id quod adeo verum est, ut non paucos nominare possemus, qui podagra non medio critere unquam adfecti permen-

menstruam scarificationem chirurgicam ab hoc malo sese liberaverint.

§. XXVI.

Quum vero modestiæ & iuventutis nostræ ratio non concedat, ut insignem repetitæ venæsectionis usum, quem in frigidis nostris climatibus præstat, pluribus elogiis extollamus: ad *tertium* nunc & ultimum considerationis practicæ membrum properamus, & veritatem thematis nostri *exemplis* quibusdam illustramus. Ibimus autem per tres præcipuas corporis nostri cavitates, & in artubus tandem acquiescimus.

§. XXVII.

Vir quidam litteratus cum superioribus annis, si levia plethoræ incommoda exciperes, satis bene valuisset, anno ætatis quadagesimo tertio, quo per calamitates domesticas vitam præter consuetudinem sedentariam egerat, *vertigine* insolita, eaque tanta corripiebatur, ut ne per hypocaustum quidem sine lapsus in terram formidine ambulare posset. Ade- rat autem tum temporis æquinoctium autumnale, & vena usitato more ad novem sanguinis uncias, state- ra ponderatas, in pede secabatur: Vnde quidem ver- tigo per 24. horas cessabat, altero vero die tanto in- solentius revertebatur. Quum autem tertio post die venæsectio ad idem pondus repeteretur, vertigi- nosa afflictio mox & constantius auferebatur. A quo tempore quater per annum phlebotomiæ repetitio- nem instituere coactus est. Quam primum enim vel per mensis spatium eandem differt: multa plethoræ in- commoda variis in corporis regionibus persentiscit.

D

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Alius vir litteratus cum iuvenis esset, per solitas
 vitæ sedentariæ rationes *hæmoptysi* adfligebatur fre-
 quentiore; cui refrenandæ neque panoplia pharma-
 ceutica, neque ordinatæ venæsectiones, quæ circa æ-
 quinoctia instituebantur, sufficiebant. Interea per
 innumeras fere & immodicas plane hæmoptyseos re-
 cursiones vires ita prosternebantur, ut de vita eius a-
 ctum esse videretur. Quot Medicorum consilia, tot
 fere dissensus in hoc vitæ discrimine audivisses. Per
 venæsectionem frequentiore paroxysmorum redi-
 tum præoccupare, omnes fere commendare dubita-
 bant, quia sanguinis *quantitas* hic non magis accusan-
 da erat, sed solus erroneæ *consuetudinis* motus; præte-
 rea vires ultra modum exhaustæ contra indicare vide-
 bantur. Vti autem in extremo periculo præstat re-
 medium adhibere dubium, quam nullum: ita irritis
 aliis ad incitas redactus ægrotans venam aliquoties
 extra æquinoctiorum tempus secandam permittebat.
 Quumque post hæc hæmoptyseos paroxysmi & tar-
 dius recurrerent & moderatius sese gererent: eupho-
 riæ talis ductu eo res successive pervenit, ut venæsectio
 singulis mensibus ad integram libram repeteretur. Vn-
 de non tantum calamitosa hæmoptysis penitus cessa-
 bat, sed etiam habitus corporis emaciatu progredi-
 ente tempore in floridissimum permutabatur. Quæ
 sane mirifica catastrophe & salutaris euphoria uti an-
 num decimum octavum, significante nuper per lit-
 teras Clarissimo Auctore, iam explevit: ita crebram
 hanc venæsectionem, quæ singulis etiamnum men-
 sibus

sibus ad totius libræ communis pondus repetitur, multi omnino admirantur. Cæterum memorabile est, tussim illam, quam priores hæmoptyseos paroxysmi iam habuerunt comitem, in hunc usque diem paullulum perdurare. Heic qui potest, iudicet, quid vel solum hoc exemplum valeat ad thematis nostri illustrationem? in frigidior enim climate hæc, quæ enarravimus, peracta sunt & etiamnum peraguntur.

§. XXIX.

Senex quidam septuaginta ferme annorum quum a iuventute sua per studiorum & officii publici rationes vitam non mediocriter sedentariam egisset: molestas *pectoris oppressiones & asthmatica pathemata* inde reportavit. Pharmacis malo opponendis tanto minus parcebat, quanto commodiore conditione ad illa obtinenda fruebatur. Præterea venæsectionem bis terve singulis annis administrandam curabat. Quæ vero omnia hic ad afflictionibus auferendis non sufficiebant. Quum vero, commendante quodam Medico, frequentior & post sex vel octo hebdomadas repetita venæsectio ei placuerit: asthmaticæ afflictiones successive evanescebant, & sanitatis conditio per quinque lustra ad facilem tolerationem erat comparata. Sed, ut mores ubique fere sunt, & iudicia speciosa passim audiuntur, suasu quorundam Medicorum crebriorem venæsectionem anno ætatis sexagesimo quinto deferens, ad æquinoctia hanc sanguinis evacuationem restringebat. Vnde in pristinam calamitatem ante incidebat, quam annus præterlapsus esset. Quam ob causam ad priorem Medicum æ-

grotans confugiens confitebatur, se persuasione aliorum, qui sanguinem iam potius emendum, quam ventilandum reputassent, venæsectionis crebriorem usum aliquamdiu prætermisisse, & antiquum morbum reportasse, iam vero hæsitare: num integrum adhuc sit, ut omissæ crebriores venæsectiones de novo instituantur. Ad quæ omnia Medicus respondebat: sanguinem quidem cibi & potus acquisitione quotidie esse emendum, venæsectionem autem nequaquam prætermittendam, sed ad terminum usque vitæ toties repetendam quoties motuum congestiorum turbæ recursum suum minarentur. Quid autem hac in re factum sit, & quemque effectum illud tulerit consilium, de hoc nondum sumus facti certiores.

§. XXX.

Matrona quædam honestissima, unius filiæ mater, post partum in statum valetudinarium coniiciebatur, & pathematibus præcipue hystericis obnoxia fiebat. Cui quidem malo multa pharmacia per multos annos opponebantur, effectus autem, qui salutaris fuisset, sequebatur nullus. Non minus aquæ medicamentosæ sine fructu aliquoties haustæ sunt. Venæsectionis usum commendare Medici complures eam ob causam dubitabant, quod adspectus ejus pallidus & paululum turgidus appareret; cui proinde phlebotomia, secundum vulgatam hypothesin, hydropem potius quam sanitatis recuperationem allatura esset. Tandem suasu alius cuiusdam Medici venam, quidem circa æquinoctia secandam, permittebat, a qua tamen sanguinis rariore

evacuatione optatum effectum minime consequebatur. Cumque finis mensium per ætatis rationem appropinquaret: menstruus fluxus modo impetuosius & diuturnius observabatur; modo per plures menses cessabat. Unde primum quidem pathemata hysterica augescebant, & præcipue dolorosa ac indurata lateris sinistri afflictio multum sollicitudinis efficiebat: postea vero hoc motuum schema e partibus internis in externas transferebatur, & arthriticæ passiones manum sinistram ita adfligebant, ut eam sine insignibus cruciatibus movere non posset. Interea cum in penu pharmaceutica salutem invenisset nullam, crebriores tentabat venæsectiones, & tantum aberat, ut inde in hydropem coniecta fuisset, ut potius easdem singulis propemodum mensibus in hunc usque diem cum satis notabili euphoria administrandas permiserit.

§. XXXI.

Alia Matrona ob frequentiores abortus, quorum sex, serie non interrupta, excluserat, ubique fere locorum quærebat auxilium & peritissimos quosque Medicorum convocabat. Quo pluribus autem remediis utebatur, eo magis pathemata hysterica incrementum capiebant. Unde Maritus illius proprio ratiocinii ductu toties venam ei secandam curabat, quoties, facta conceptione, motus qualescunque abortum minabantur. Cumque hoc octies factum esset, filiam perfecte sanam excludebat. Insequente novo graviditatis statu idem remedium ad eandem

indicantium normam administrabatur: unde filium, diu exoptatum, in lucem emittebat.

§. XXXIII.

Tandem mentionem facimus exemplorum, quæ post multorum remediorum ingluviem *scarificationem chirurgicam*, eamque menstruam, & si pondus consideremus, venæsectionis quantitati respondentem, adhibuerunt, & hac ratione *podagram*, qua per multos annos non mediocriter afflicta erant, constanter profligarunt. Eundem plane effectum ab *hirudinum* frequentiore usu aliquoties observavimus. Id quod eum in finem subiungimus, ne benevolus Lector putet, nos soli tantum venæsectioni inhærere. Parum enim refert quocunque artificio plethora imminuatur, & naturæ motus exacerbati securius moderamen nanciscantur.

§. XXXIII.

Hæc ad thematis nostri probationem atque illustrationem sufficere posse existimamus, videlicet, quod frigidi climatis populi plures rationes habeant, venam sæpius secare, quam regionum calidarum. Deo autem T. O. M. gratias offerimus humillimas, quod vires benigne nobis concesserit ad laborem hunc absolvendum.

ERRATA.

P. 6. lin. ult. leg. pro nullus nulli p. 11. lin. ult. leg. pro nullus nulli. p. 17. lin. 2. leg. pro priore antecedente p. 24. lin. ult. leg. mediocriter, in propempt, p. 3. lin. 22. leg. Borussia.

IN quibus aut proſit terris, aut obſit
aperta

VENA, novis monſtras auſibus, arte
pia :

At ſimul ingenii dotes exponis, **AMICE**
Quamque TIBI prompte **VENA**
benigna fluat,

*In honores Prænoſiſſimi Candidati, Audito-
ris olim ſui perinduſtrii, poſuit cum
voto omnis proſperitatis*

IOAN. IOACHIMVS LANGE.

Math. P.P. O.

NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO

DANIELI ABRAHAMO
HANCKIO

OMNEM FELICITATEM ADPRECATUR

IO. EBERHARDVS IVNCKER,

M. D.

ABſolvis hodie ſtudiorum academicorum cur-
ſum, & inaugurali ſpecimine edoces, Te, co-
gni-

gnitione medica satis instructum, ad praxin publicam auspicandam non esse inhabilem. Multa Tibi hoc quoque die dantur carmina atque vota, quibus ut etiam meum adiungam æquum esse censeo. Lætor hoc, Tibique Candidate & Amice honoratissime ex animo gratulor, quod, emenso hoc annorum & laborum spatio, Tibi digno honores & privilegia publica conferantur, Et quum mihi notum sit, animum Tuum veræ pietatis rectique amore trahi, ut Deo & hominibus recte servias, ex nominibus Tuis, quanquam ordine inverso & transposito, ansam capio, Tibi adclamare, ut fidem & constantiam Abrahami menti Tuæ proponas, eiusque vestigia premas, qui in arduis rebus, & spem humanam frustrantibus, firmo animo Deo adhærebat, certo persuasus, hanc sacram anchoram neminem frustrari. Hoc ornatu indutus deinde Danielis quoque sapientia & in auxiliis ferendis prudentia animum Tuum vestiet, & sic optime aliorum saluti consulendi facultatem experieris. Deo commendatus vale. D. Halæ d. xxxi. Mart.

M DCC XXX.

[Nunc

Nunc Tibi splendentem Laurum pia nequit
Hygea,
Quam meruit constans assiduusque labor.

Adspicis hinc lætus, Fautor, finem studiorum,
Gloria quum totum iusta coronat opus.
Gratulor inde Tuum, quod scandis, culmen hono-
ris,

Adprecor atque simul prospera quæque pie.
Efficiat porro, vigeas ut corpore, Jova,
Floreat utque labor practicus ipse bene.

*Hecce Fautori atque Amico suo gratula-
bundus scripsit*

J. M. STARCKLOF.

Med. Lic. Gothano-Thuringus.

Der Grund ist gut gelegt, der Bau schön
aufgerichtet,

Hier, da der kalte Nord und heiße Sud Herrn
Hanken

Die wohl erforschte Lehr von Alder Schlag zu
danken.

So macht sich Dero Fleiß die ganze
Welt verpflichtet.

E

Da

Davor mit Recht Ihr Haupt der Doctor.
Hut nun zieret,
Wozu aus treuer Pflicht Glück wünscht und
gratuliret

Des Hochgeehrtesten Herrn Doctorandi
seines Hochwerthgeschättesten Freun-
des ergebenster

I. D. GEISEL.

Med. Lic. Annævilla-Bipontinus.

Sic Tua Vena docet, quo tuto vena secanda?
Scilicet in rigido Climate, non calido.
Et quia sat doctum specimen Te comprobat
hocce,

Accipis hinc studiis præmia digna Tuis.
En mea Musa simul meritis adplaudere gestit
Virtutum, ex animo prospera quæque vo-
vens.

Quicquid agas, Summus fortunet Conditor orbis,
Crescat ut & posthac nomen honore Tuum.

His Prænobilissimo Domino Auctori,
Amico per plures annos integerrimo,
gratulari voluit

IO. IAC. LERCHE.

Med. Cand. Potsdaviensis.

Vidi

VIdi non animum modestiorem.
Quam, VIR DOCTE, *tuum*. Solent honores
A multis misere peti, occupatis
Enormi meritorum opinione.
Currunt & lapidem negotiosa,
Mirum mente mouent omnem:
Desudant, trepidant, gemunt, anhelant,
Ut fauces calida siti perustas
Restinguat mare gloriæ tumentis,
Ut que aures sibi perditæ patent
Insignis tituli sonus titillet.
Et nil sæpe tamen salis videbis
Virtutisque nihil latere pulcrum,
Nil, quod est generosioris ortus
In tam mirifici indole appetitus.
TV dudum solidi capax honoris
Festinare tamen nil volebas,
Vir Præclare, tuo minor labore.
Maturum iuvat attulisse pectus
Ad laurum, decus omne continentem.
Quam dum nunc speciosiore fronte
Inter nos hodie capeffis, esse.
Semper prosperitate TE beatum,
Naturæque habilem volo ministrum.

*Hicce Prænobilissimo nec non Doctissimo
Dno. Doctorando, Fautori & Amico astu-
matissimo de novis honoribus gratulatu-
rus se commendare voluit debuit*

IO. FRID. MULLER.

Neostad. Wurtemb. Med. Stud. opp.

PRÆ-

PRÆNOBILISSIMO ET DOCTISSIMO
DOMINO
D. A. HANCKIO.
PRO SVMMIS IN ARTE MEDICA HONORI-
BVS ACQVIRENDIS DISPVTANTI
I^a
GRATVLAVNDVS ASSVRGIT

Pervigiles noctes compensant laudibus artes
Et labor assiduus præmia digna ferat,
Siccine Apollineo splendent tibi tempora
Cinctu


Hancki sic Studii præmia ferto tui
Dux tibi Numen erit, sic felix pergito, porro
Te Clarum Claret, Clara Minerva Virum!
Duce Deo Felix procedito, vivito Nise,
Semper at Euryali, quæso memento mei.

IOHANNES PIPER.

Med. Stud. Cimbro Danus. Oppon.

IOAN.

JOANNIS JUNCKERI
MED. DOCT. AC PROF. PVBL. ORDIN.
PROEPTICON INAVGVRALE
DE
DISCRETO SENSU CIRCA
NOVA MEDICA.



Ræclarum omnino ac divinum est effatum, quod mortalium sapientissimus, SALOMO, sacris litteris consignavit Coheleth I, 9. 10. *nihil scilicet sub hoc sole fieri novi*: cui adfines est illud proverbium, quod vulgo dici solet: *nihil dicitur, quod non sit dictum prius*. Scio equidem, esse, qui nimium hæc dicta haud urgenda, sed potius restringenda mo-

neant, veriti, ne veritas alioqui horum scitorum lædatur. At, me iudice, non est, quod hoc metuamus. Sive enim *Spiritualia* consideremus, sive *physica*, sive alia quævis, nihil novi in toto terrarum orbe fieri videmus. Ut de *sacris* primum dicam, quamquam variae fuerint œconomiae, & Deus *πολυμερῶς* & *πολυτρόπως* ad patres olim per prophetas locutus sit, una tamen omnibus servandis norma & credendi in Christum, humani generis redemptorem, & sancte vivendi fuit præscripta. Quæ causa est, cur in posteriori foedere eadem ratione, qua maiores in foedere priori, æternam salutem consequi dicamur, cum unum idemque cum iis habeamus fundamentum, unamque viam, videlicet crucis, ad gloriam. Quare passionem tum Christi tum fidelium foederis novi nil novi ac insoliti a Petro iudicantur, & Christus, tamquam agnus, iam inde a condito mundo trucidatus legitur. Quod si *historica* consideremus, nil novi contingere, iure ac merito adserere possumus. Varias quidem rerum omnium vicissitudines, varia ecclesiae facta, regnorum incrementa, mutationes, everisiones; sed hoc omni tempore factum esse, neminem, nisi historici studii prorsus expertem, ignorare posse confido. Hominum denique indolem sedulo diiudicans, perspiciet, alios sapientiæ, alios stultitiæ operam suam addicere. Quæ etiam in re nemo facile novum quid inauditumque sibi finget, quum hæc viæ antiquissimis iam temporibus fuerint a mortalibus calcatae.

Verum *artes*, inquis, *humanae* admodum excoluntur, quotidie in-

veniun-

veniuntur multa, multa excogitantur, in omni litterarum genere, præcipue in *philosophico & medico* studio, quod nostro ævo magna incrementa cepisse putatur. Sed & hac in re nihil esse novi, certissimus sum. *Schemata* enim tantum, *modi, methodi*, ac *media* mutantur, res autem ipsa, eius causæ impulsivæ, finales & respectus, *bonum* scilicet, sive verum sive adparens, semper manent, nec mutari possunt. Præter ea etsi quotidie multa inveniantur, neque hoc tamen est novum quid. Quod enim quotidie contingit, illud inter nova referri haud meretur. Quid? quod multa sunt inventa, quæ nova videntur, sed sunt vetustissima, in lucem denuo protracta variisque accessionibus aucta.

Occasionem hoc de Salomonis dicto quædam dicendi præbuit Vir iuvenis nobilissimus & præclare doctus

DANIEL ABRAHAM HANCKE.

Summorum in medicina honorum Candidatus dignissimus. Hic namque dum peculiari dissertatione inaugurali probavit, frigidi climatis populos plures habere rationes, sæpius secandi venam, quam in calidis regionibus viventes, nova prorsus & adhuc inaudita in medium proferre videtur. Ex iis vero, quæ modo protuli, satis elucescet, qua ratione nova, quaque antiqua, hæc dici possit hypothesis. Vnde non est, ut hac de re quædam addam, quin potius, pro more in academiis recepto, vitæ, quam Candidatus noster tenuit, rationem breviter strictimque exponam.

Lucem hanc adspexit Coneci, quæ urbs in Porussia Polonica sita est, anno 1702. d. 4. Mart. honestissimis parentibus prognatus: nimirum patre *Daniele Hancke*, eiusdem civitatis Consule meritissimo; matre autem *Barbara Rudnick, Pauli Rudnick*, Consulis *Bütoviensis* per multos annos spectatissimi filia natu minima. Prima studiorum fundamenta in Schola patria evangelica iecit, eaque deinceps ibidem in Iesuitica ulterius excoluit. Exactis in hac annis quibusdam, Gedanum decessit; ubi illustris gymnasii academici civis factus, præter alia studia, in medicina, & quidem parte eius anatomica, proficiendi occasionem nactus est. In primis de eo egregie meritus est Vir excellentissimus atque experientissimus Dn. D. *SALOMO*, qui in eo perpoliendo formandoque plane singularem fidem & industriam privatam comprobavit, primusque ipsi solidam ostendit viam, qua artis medicæ cognitionem consequeretur; siquidem eius ductu integrum fere medici studii cursum absolvit: quod grato animo agnoscit ac veneratur. Rite ita in Gymnasio instructus,
ut

ut academias videret, in regiam Albertinam, quæ Regiomonti est, se recepit, ibique per annum circiter degens professorum clarissimorum fuit auditor. Postquam iis Musis vale ultimum dixit, nostramque Fridericianam elegit, id omni virium contentione egit, quomodo artem salutarem digne excoleret. Igitur apud illustrem consiliarium aulicum, ordinisque medici Seniore, FRIDERICVM HOFFMANNVM audivit collegia, ut practicum, ut materiale, ut formularum. Percepit quoque Viri: idem illustris, MICHAELIS ALBERTI Regis a consiliis aulicis & sacris, prælectiones varias pathologicas, therapeuticas, generales & speciales, physicas, chemicas, semiologicas, chirurgicas, materiæ medicæ, nec non de iuris prudentia medica & ratione disputandi. Haud vero neglexit experientissimi atque celeberrimi Professoris, GEORGII DANIELIS COSCHWITZ, ante hunc annum humanis rebus erepti, lectiones quasdam anatomicas publicas; neque exercitatissimi Dni. professoris HEINRICI BASSII anatomicas privatas, chirurgicas, instrumentales. Meam quoque praxin clinicam per nonnullorum annorum tractum frequentavit. Nec omittendum, candidatum hunc apud excellentissimum nostrum Dn. IO. IOACH. LANGIUM, mathesin, astrognomiam & physicam experimentalem profitentem, strenuum fuisse auditorem. Post hæc, quum candidatus noster studiorum cursum heic absolvisset, & ego illum in visitanda perillustri domo liberi BARONIS DE PLOTHO ET ENGELMVNSTER itineris comitem haberem, dexteritate sua & modestia ita se commendavit, ut per integrum ibidem annum, & quod excurrit, a consiliis esse medicis requireretur.

Ex quibus omnibus satis claret, ipsum tempus, quod litterarum solida cognitio requirit, bene ac prudenter posuisse. Quo circa ordo noster medicus libens illum ad examen admisit, talemque iudicavit, qui merito suo dignitatem doctoris medici tueri possit. Id quod disputatio eius inauguralis itidem loquitur. Nihil igitur superest, quam ut ipsi hanc promotionem gratuler & cuiusvis generis felicitatem a Deo sincero animo exoptem.

Ceterum ut conflictum hunc inauguralem die 3. April instituendum præsentia sua illustriorem reddere velint litterarum Mæcenates ac Patroni, est, quod officiose ac decenter oro. P. P. in regia Fridericiana, Halæ Magdeb. IV. Nonar. Aprilis A. O. R.

clō lccc XXX.